

nis nostræ januam supplici devotione pulsantis, veniamque de commissis offensis contra nos, & imperium humiliter postulantis ipsum ad exauditionis nostræ gratiam benignius admittentes, in plenam nostram gratiam recipimus, & favorem; rancores omnes, & offensas, quas hactenus contra nos, & imperium visus est incurrisse sibi de imperiali clementia relaxantes de abundantiori quoque munificentia nostræ gratia investimus ipsum de rectis feudis suis, quæ tenet ab imperio, a quorum jure per offensas contra nos, & imperium perpetratas juste cecidisse hactenus videbatur, ut ea tam ipse, quam heredes sui a nobis, & imperio semper immediate teneant, & recognoscant, debita quoque consueta servitia exinde nobis, & successoribus nostris in imperio facere teneantur, & de dominio nostro illa aliquo unquam tempore subtrahere non intendant. Confirmamus insuper omnia privilegia ei, & antecessoribus suis a nobis, & divis Augustis progenitoribus nostris indulta in nostra, & imperii devotione fide, & servitiis persistenti, salva in omnibus & per omnia nostra imperiali justitia. Conventiones quidem, & promissiones factas supra per Henricum III. Regem Sardinia dilectum filium nostrum sacri imperii in Italiam Generalem legatum mediantibus III. Marchione Saluc., & Albrandino Cochonate fidelibus nostris, & specialiter super remissione pecuniæ debitæ per Marchionem eundem nobis facta per Regem Gothofredum per nostram excellentiam acceptanda ratas habemus, & in perpetuum confirmamus debitum supra, & heredibus suis perpetuo remittentes. Statuimus igitur quatenus nulla persona alta, vel humilis Ecclesiastica, vel secularis, nullus Dux, Marchio, comes, vel vicecomes, nullus potestas consilium, aut commune contra præsentis privilegii nostri tenorem ausu temerario venire præsumat, quod qui præsumperit præter indignationem nostri culminis, quam incurret, quinque millia marcharum argenti pro pœna componet medietatem cameræ nostræ, reliquam medietatem passis injuriam applicandam. Ad cujus rei memoriam, & robur perpetuo valiturum præsens privilegium fieri, & bulla aurea typario nostræ majestatis impressa justimus communiri. Datum Taurini anno Dominicæ Incarnationis MCCXLV. mense julii, III. indict. Imperante D. nostro Friderico II. Dei gratia invictissimo Romanorum Imperatore semper Augusto Hyerusalem Siciliae Rege anno Imperii ejus XXV. (1) Regni Hyernsalem XXI. Regni vero Siciliae anno XLVII. feliciter amen (2).

(1) Frid. II. corona insignitus fuit an. MCCXX., X. cal. decembris, quapropter hoc anno erat Imperii XXV., licet Muratorius numeret annum XXVI., quia initium ducio numerandi ab ipso vicefimo, quo fuit coronam Imperii consecutus.

(2) Fuit hoc diploma anno MCCCXXVII., indict. X., die III. maii, Montiscalvi coram D. Francisco Ab. monasterii de Grazano, aliisque multis nobilibus viris, iudicibus, vel notariis jussu D. Argentinae marchionissæ Montisferrati ex autographo ab Antonio de Baili de Clavasio rescriptum.

*Decima Ecclesiæ de Montecodario Ecclesiæ majori debita.*

207

MCCXLVIII.

Anno Domini MCCXLVIII., indictione VII., die lunæ XXII. februarii in claustris S. Mariæ majoris de Aquis præsentibus D. Arnaudo Bencio, Thebaudo de Porta, & Petro filio Philippi Robæ testibus rogatis. Albertus Scota minister Ecclesiæ S. Thebaudi de Montecodario confitetur, quod vineam quam habet Ecclesia de Montecodario in territorio Aquis, ubi dicitur *undecim*, cui coherent Obertus Cacariol, Arneli, sive aliæ sunt coherentia, reddit, & reddere debet majori Ecclesiæ Aquensi quartum, & decimam, pro quibus quarto, & decima dictus Albertus promittit, & convenit dicto Lotterio Aquensi præposito, & suis successoribus nomine ipsius Ecclesiæ dare nomine ficti annuatim quatuor sextarios musti puri ad mensuram Aquensem tempore vindemiarum nomine Ecclesiæ Aquensis obligando inde ei pignori omnia bona dictæ Ecclesiæ de Montecodario, & dictus præpositus consensu, & voluntate capituli, videlicet D. Ottonis Archipresbyteri, Presbyteri Ruffini, Presbyteri Bovoni, & Oglerii canonicorum ibidem pro capitulo residentium promittit dictam vineam dicto Alberto nomine dictæ Ecclesiæ de Montecodario defendere, & auctorizare quantum ad dictum quartum, & decimam, obligando inde eidem bona Ecclesiæ majoris Aquensis supradictæ, unde binas cartas unius tenoris fieri præceperunt. Ego Totusbonus S. P. N. interfui, & hanc cartam, & aliam ejusdem tenoris tradidi, & scripsi Ego Ubertus Galea &c.

*Donatio Ecclesiæ de Prædalibus monasterio S. Mariæ de Latronorio Cisterc. ord. facta a Guillelmo Aquensi electo.*

MCCXLIX.

208

Anno Domini MCCXLIX. XXVIII. augusti, in refectorio S. Petri de Aquis D. Guillelmus Aquensis electus de consensu omnium fratrum suorum, qui erant præsentis in civitate, videlicet D. D. Lotharii præpositi, & Othonis Archipresbyteri Aquensis, Alberti præpositi Bublensis, Presbyteri Ruffini, & Oglerii canonicorum Aquensium, & ipsi fratres sua mera, & spontanea voluntate pro remedio animarum suarum, ac intuitu Religionis dederunt, concesserunt, atque obtulerunt fratri Nicolæ converso, & sindaco monasterii de Latronorio sicut constat per publicum instrumentum factum manu Manuelis Notarii de anno MCCXLVIII., XX. septembris recipientis nomine dicti monasterii S. Mariæ de Latronorio Cisterciensis ordinis Ecclesiam B. Mariæ de Prædalibus sitam in Aquensi diocesi cum omnibus juribus, & rationibus, universisque pertinentiis ad prædictam Ecclesiam de jure spectantibus, & cum omnibus demum cultis, & incultis terris, domibus, pratis, vineis, gerbis, nemoribus domesticis, & silvestribus, sive selvaticis, pascuis, rivis, rupibus, & ruinis, & omnibus aliis, quovis modo ad dictam Ecclesiam spectantibus. Eo modo facta est hæc cessio, & oblatio, ut dictus syndicus nomine dicti Monasterii, nec non & D. Alda Abbattissa dicti monasterii, & conventus